

TULL. Nescio sane, utrum hoc Poëta pari voto esse, atque damnari nolles, si *Mercurius* tibi tantum, quantum ipsi, fa-
veret. Pro quolibet etenim sui hujus carminis versu a *Caracalla*
Imperatore, cujus honoribus illud inscripserat, Solido, i. e. au-
reo Numo donatus fuit.

DIALOGUS XXIV.

De Baccho, seu Libero Patre.

PUBLIUS.

Vino madidum, sed jucundum Deum, unico Numo
Tabulæ tuæ V. tæ. undecimo in scenam producis, juve-
nem, nudumque stantem, cum thyrso, & botro: ad
pedes ejus hinc *Panthera maculosa*, inde *Satyrus* pe-
tulciens. Epigraphæ græca est: *KΑΙΣΑΡΕΩΝ ΑΘΗΝΩΝ*: id est,
Cæsarensium Aegenensium, nisi fallar. *TULL.* Ubi fuerint hi Po-
puli, ignorare se fassus est *Cl. Patinus*, qui hunc æris medii Num-
mum *Caracalla* attulit p. 245. *PUBL.* Ego porro jam vidi Deum
hunc in gemino *Pegaseorum*, & *Coreyreorum* Numo: quos in exer-
citat. Procem. Tab. II. n. 2. ac 3. mihi pinxisti, & exposuisti
Dial. V. n. 8. sqq. Ubi didici, *Bacchum* alio nomine *Dionysium*,
item *Libero Patrem*, omni forma, pueri, juvenis, ac senis, Vi-
ri præterea, & sceminae proponi, quod Vinum omne genus homi-
num in lætitiâ solvat, animoque a curis libero reddat. Sæpe
præterea igne, aut stella denotari, quod *Jovis*, ac *Semela* filius,
inter ignes conceptus fuerit, ipsoque pro Sole sumatur. Tigri-
des, Lynces, *Pantheras*, aliasque maculosæ pellis bestias, eidem
oblatas esse, & adjunctas, quæ cœli stellati quamdam similitu-
dinem referrent, *Thyrsum*, cantharos, vites, uvas eidem addi,
liberalis potus, ac genialis lætitiæ symbolo.

I.
TAB. V.
N. XI.

Me-

II. Memini quoque ex *M. Antonii* Triumviri Numo, quem delinea-
 veras, unde supra, Tab. III. n. 6. & ejusdem Expositione
 Dial. X. n. 16. & 17. ad hujus Dei mysteria etiam spectare cistam,
 quam Serpentes vel circumdent, vel qui ex eadem profiliant,
 Orgiorum, aut Bacchanalium Ludorum indicio. In his etenim
 Bacchantes hujusmodi cistam circumgestabant, saltantes: immo
 & serpentes, veneno suo exutos, deportabant manibus, crini-
 busque suis innexerunt, quasi palam facturi, Vinum liberaliter
 haurtum, ab animis, & cordibus, omnem prorsus formidinem
 eliminare. *TULL.* Hæc omnia ubertim apud Veteres, & super-
 stitiosos Deicolæ, recentiores item apud Mythologos legas. O-
 peræ vero pretium putem, ut ex perspicacissimo *D. Pluobe* ierum
 audias, qualem ipse universæ *Bacchi* fabulæ occasionem, & anti-
 quissimam originem apud se cogitaverit.

III. Ait ille: Omnium post diluvianarum Gentium Orientalium
 consuetudo fuit, Cœli Terræque tam vehementem immutatio-
 nem ab æquabili suo ante Diluvium statu, anniversario ritu de-
 flere, Deique Clementiam in eorum reparatione publico deinde
 gaudio celebrare. Immutatum enim est Cœlum, dum Sol ab
 Aequatore declinans, breves dies, rigidamque hyemem, contra
 morem antediluvianum induxit, ut adeo proluxæ noctis causa,
 piceas faces adhibere, propterque asperum frigus toti corpori
 laxiores, & pelliceas vestes quarere opporret. Immutata Ter-
 ra, cui, præterquam, quod ferarum propagine maxima undique
 oppleretur, nunc siccitas aëris, nunc imbrum copia, nunc gran-
 dinum vis, nunc turbines ventorum, nunc marium, & fluminum
 exundationes, nunc insectorum nimietas, vehementer, incer-
 tisque præter opinionem temporibus incommodabant. Felicior
 quidem in horum nonnullis erat Aegyptus: priusquam tamen
 Regionis hujus Genius primis ejusdem habitatoribus longo usu
 perspectus foret, Nili affluxus adhuc improvisus, & incerta ejus-
 dem inundantis mensura, par illis periculum attulit.

IV. Horum igitur causâ Sacra fiebant Anniversaria: quæ incho-
 abant a fletu, & ululatu, propter supplicium, ac damna Dilu-
 vii. Adhibebantur faces: quarum triste lumen in remedium tam
 brevium dierum assumere necessitas coegit. Sequebantur laudes
 Dei, ubertatem terræ denuo restituentis, longe licet majoribus
 cum

cum incommodis, & sudoribus hominum. Offerebatur eidem de pecoribus, & frugibus, combustis quibusdam, reliquis per communes epulas absumtis. Ludorum demum causa successit, aut vera, aut simulata ferarum Venatio, circumcursitantibus, vociferantibus, atque tela, & venabula rotantibus hominibus: qui una saltem, alteraque bestia noxia trucidata, ejusdem sanguine pelliceas vestes, immo & manus, forte & facies, per excessum lætitiæ tingebant, quod minus jam sylvestribus a feris periculum foret. Ecce Festum innocens, ad veri Dei cultum, & perpetuam, immutatæ ob impietatem hominum naturæ, iterumque reparatæ, memoriam institutum. Ploratus, ululatusque causa eidem dabatur Nomen *Baccoth*, ab Hebreo *Beke* i. e. *fere*, unde *Bakinu* Psalm. 137. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus.* Item *Ezechiel*. VIII. v. 14. *Mebaccoth*, quod vertitur: *Mulieres plangentes Adonidem.* Vide ortum *Bacchanalium*, sensu festi, ritusque, ac Nominis ejus deperdito, insanissime deinceps actorum, immo stultitia eorundem ad nos usque derivata.

Pronum porro jam est, *Bacchum* æquæ facile reperire. Rursum namque D. *Pluche* inquit: *Horus* apud primos Aegyptios Uberratis Terræ imago exstitit, primusque character pictus, antequam scribi literis posset, formamque Filii retulit, quasi *Osiri*, & *Iside*, i. e. Sole fecundante, Terra pariente, genitus esset. Hic prædicto in festo *Baccoth*, sive Fletus ob immutationem Terræ, cuius Ubertas immanitate Diluvii quasi occisa fuerat, proponebatur tanquam infans mox iterum genitus, restaurata denuo Terra. Impositus cistæ cuidam loco cunarum, quasi urceo aquatili, Diluvii symbolo, stipatus fuit Serpente, perpetua Vitæ tessera: unde intelligeret Populus, Clementiam Dei Terræ, aquis penitusmersa, his revocatis, rursus Ubertatem, Generique humano necessaria vitæ sustentandæ media restituisse. Nomen huic imagini erat *Ben-Semele*, i. e. *Filius Representationis*, aut *Similitudinis*, Imago nempe, quæ destructæ, iterumque reductæ Uberratis Terræ similitudinem vindentibus ingereret.

At vero neque posteriores Aegyptii, neque Phœnices, alii-que orientales, multominus Græci, sensum hujus imaginis, & nominis ejus intellexerunt. Quare postremi *Ben-Semele* exposue-

V.
Histor.
CæL. L. I.
Cap. II.
S. 17.

VI.

runt Filius *Semeles* Patre *Jove*, idque tanto pronius, dum ipsi Aegyptii mere pictum *Horum* suum fecerunt filium *Osiris*, & *Isidis*. Decuit vero Genesin *Bacchi*, h. e. Praeonis festi *Bacchoth*, ut ab aliorum filiorum Jovis origine singulare quidpiam haberet, cumque divina esset, non absque prodigio foret. Mentiti sunt igitur, dum *Semele* mater ignibus accedentis ad se Jovis exureretur, hanc prolem ejus, & suam, utero ejus mature exentam, proprio femori suo inferuisse, e quo proinde *Bacchus*, propinquo sui partus tempore, egressus fuerit. Cui stupidæ fabulæ forsitan occasionem præbuerit idiotismus Hebreorum, qui nativitatem, vel descensum Filiorum, aut Nepotum, ex uno communi Avo, per egressum de femore ejus exprimebant. Ut v. g. legitur *Genes. XLVI. v. 26. Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Aegyptum, & egressæ sunt de femore illius.* Item *ibid. XLIX. v. 10. Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.*

VII.

Ex formulis, quibus primi Aegyptii suo in festo *Bacchoth* utebantur, alia, quæ *Bacchi*, *Bacchanalium*, & *Bacchantium* fabulam afficiunt, verosimillime profecta esse, haud immerito censetur. Ego autem, quod D. *Pluche* perdiligenter quidem fecit, singula hic minime exequor. Id solummodo addo, Græcis vocem asperam *Bacchoth*, & alias ex Hebreo assumtas, brevi displicuisse, prælecta voce *Dionysius* ex Hebreo *io nissi*, aut commodius *dionysii*, quod innuebat, *Domine comes meus*. Ita inclamabant ituri ad venationem, Deumque adiutorem in lucta cum feris imploraturi. Hujus porro sylvestris expeditionis causa etiam factum, ut, cum *Nimrod Venator* fuerit robustus coram Domino, sæpe scilicet juventutem Aegyptiam ad expugnandas noxias bestias educendo, *Bacchus*, post lapsum seculorum pro *Nimrodo* coleretur, Victor a Tigri usque in Indiam prolixo mendacio celebratus.

VIII.

Quando Venatio, ut in Festis, mere ludicra erat, posteriores Aegyptii, lana & lino alias jam culte vestiti, imitabantur paupertatem, semique nuditatem primorum post Diluvium Patrum suorum, ex immutatione Cæli, Terræque, undique afflictorum, & incommodis perpetuis expositorum. Temere itaque, & sine ordine, injectis corpori suo pellibus hircorum, caprarum,

subinde tigridis, urfi, leonis, vultuque, & manibus, in speciem cruenti certaminis cum bestiis, ferae cujusdam occisæ calido sanguine, aut mori rubentis liquore tinctis, eandem, quam postea græci *Bacchantes*, formam horridam præstulerunt. Brevi accedebant & larvæ, Satyri, Fauni, Currus Bacchicus, ab hominibus tractus, qui se pellibus trigidum induerant. Quod autem primum vetusta ex institutione fletus, ac ululatus esse debuerat ob immutatam, & multum in deterius conversam Terræ Ubertatem: deinceps merum in jubulum stolidæ illius dementiæ, quam intemperans vini usus, crapula, & ebritas inducunt, non sine scelere plurimo transivit.

PUBL. Nescio, cui non summe placere debeant hæ pulcherrimæ Reflexiones: quibus ipsarum quoque vocum, in fonte suo inquisitarum, notio suffragatur. Mihi non est alius huc atinens Numus, nisi æreus parvus *Galliæni*: in cujus Adversa graditur Panthera, vel Tigris, cum epigraphe: LIBERO PATRI CONS. *ervatori* AUG. *usli*. *TULL.* Meis in Tabulis locus non erat pluribus iconibus *Bacchi*: quamvis Maximi Viri, *Patinus*, *Spanhemius*, *Liebe*, ac præ omnibus *Montfoconius*, ingentem hujusmodi Numorum copiam suppeditassent. Cura, ut in his ipse versari aliquando possis, & ad usque forsitan detestationem intueberis, quantum signati argenti, ærisque, quantumque artis, & ingenii, has in *Bacchicas* nugas Græci, & Romani, prodegerint, cum summo delirantis rationis opprobrio, & ipsius Conditoris contentu.

IX.

DIALOGUS XXV.

De Vulcano, itemque Cabiro filio ejus.

PUBLIUS.

Numus Tabulæ tuæ V. tæ. duodecimus fabrum red-
hibet sedentem, qui ferrum ad incudem tundit, cum epi-
graphie græca: ΚΙΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ: i. e. *Cyziceno-*
rum

I.
TAB. V.
N. IX.